
JACOBI GRETSERI
SOCIETATIS IESV
ADMONITIO,
AD EXTEROS DE BIBLIIS TI-GVRINIS.

Lutherus de Verbis Nouissimis Dauidis.
Tom. 3. Lat. VViteberg.

COEPERVNT ET NOSTRA ÆTATE INTER PAVCOS ANNOS CRESCERE ET CVMVlari noua versiones, vt videatur nullus modus futurus esse, & tandem tot editiones Bibliorum simus habituri, quot existent semidocti ac scioli, qui sibi persuasionem alicuius eruditionis in lingua Hebraica induent.

ANNO  M. DC. XV.

INGOLSTADII,
Ex Typographeo Ederiano, apud Elisabetham Angermariam, viduam.



ADMODVM REVERENDO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO, DOMINO PAVLO, MONASTERII TEGERNSEENSIS ORD. D. BENEDICTI ABBATI RELIgiosissimo

IACOBVS GRETSERVS.



CONtexui his diebus Amplissime Præsul, dissertatiunculam de Bibliis Tigurinis; quam vt tuo nomini inscriberem; fecit ipsa toties Tiguri & Tigurinorum repetita mentio: Cogitabam enim etiam in Bauaria, non procul ab Alpibus, Tigurum & Tigurinum lacum esse, Auentino in Annalibus nomenclatore & indice; non tantum in Heluetia. Quanquam iis, qui hac ætate in Heluetia Tigurinos, & Ti-

gurinorum Iulij Cæſaris poſteros ſe vocitant; Et nomen & hanc tantam vetuſtatem viri docti abiudicant. Ex quorum numero Iacobus Spigelius ad verſum illum Ligurini; *Nobile Turregum inſedit:qui putant*, inquit, *Turregum olim dictum eſſe Tigurum, falluntur; ſiquidem Pagi Tigurini, cuius eſt mentio apud Cæſarem, ſunt Vranienſes; eſt autem Turregum nouum oppidum, cui fluuius, Turga, vt ipſi regioni Turgauia nomen indidit.*

Vtcumque ſit, (nolim namque de hac controuerſia hoc loco iudicium meum interponere) quia compertum habebam, me non gratum munus allaturum, ſi hodiernis Tigurinis Heluetiæ hanc lucubratiunculam offerrem, ad Bauariæ Tigurinos ire volui; ad te, inquam, *Admodum Reuerende Domine Prælate*, qui Tigurino Monaſterio laudabiliter præes. Tu factum meum bonã in partem accipies; ita tibi faueat, multosq; annos adhuc concedat ſupremus ille vitæ humanæ moderator precibus S. QVIRINI Tigurinæ Ædis Diui Tutelaris eximij: Ingolſtadij 20. Iulij, Anno Salutis M. DC. XV.

AD-



ADMONITIO

AD EXTEROS DE BIBLIIS TIGVRINIS.



Ideo multos, præſertim exteros, errare circa Biblia Tigurina, eorumq; Auctores; quos, vt ab errore liberem, breuem hanc lucubratiunculam confeci; licet ante aliquot annos de his ipſis Bibliis non pauca dixerim in Tractatu de nouis Bibliorum verſionibus, quem primo Tomo defenſionis Bellarminianæ adiunxi.

CAPVT I.

Bibliorum Tigurinorum, qui Auctores seu versores.

TIGVRVM, seu, vt superioribus sæculis appellabatur, Turregum, seu Thuricum, primaria & clarissima Heluetiorum Vrbs est; sed à Zvvinglio miserè seducta illis ipsis annis, quibus suos Saxones aliosque Germanos Lutherus in hæresin pręcipitabat. Zvvinglio in auita fide euertenda indefessus adiutor fuit Leo Iuda, seu Iudæ, seu Iudas, origine Iudæus, postea Christianus, deinde Sacerdos, tandem flagitiosus Apostata, & Sacrilegus Sacramentarius: qui cum Hebraicam linguam vnà cum lacte materno, vtpote verpus, vt dixi, suxisset; trãslationem Bibliorum ex Hebræo non tantum Germanicam, sed & Latinam molitus est. At quo minus Latinam absolueret, mors intercessit: obijt enim iste Leo Tiguri anno Redemptoris 1542. die 19. Iunij, Ætatis anno LX. vt refertur in Chronico Chronicorum Tom. 4.

Quæ autem ipse verterit, quæ vertenda reliquerit,

querit, & cui, exponit nobis Leo in ſuprema ſua ad Theodorum Bibliandrum, Scholæ Turegienſis Profeſſorē & Miniſtrum, compellatione, quę præfationi in Tigurina Biblia inſerta eſt, his concepta verbis. *Te autem, chariſſime mi Theodore, per ipſum Dominum Ieſum, cui ſeruimus* (ſcilicet) *oro atque obteſtor, vt ea tu in noſtra Bibliorum verſione abſoluas, qua morbo hoc meo interceptus, transferre abſoluereque non potui: Octo videlicet postrema capita Ezechielis, à quadrageſimo nimirum capite: Danielem totum, librum Iob integrum, Pſalmos ſiue Hymnos quadraginta octo vltimos, à 102. ſcilicet Pſalmo. Libellos item Salomonis duos, Eccleſiaſten & Cantica Cāticorum, quos ob rerum & orationis difficultatem hactenus non attigi, volens illos vltimo reſeruare conatui.* Hæc Leo ad ſuum Symmyſtam, & in Zvvingliana vinea cooperatorem: qui precibus locum dedit, & prætermiſſa à Leone in latinum ſermonem ex Hebræo tranſtulit; libris tamen, quos Nouatores pro apocryphis habent, vt eſt Tobias, Iudith, Eccleſiaſticus & ſimiles, Petro Cholino demandatis. In nouo Teſtamento Eraſmi verſionem, ſed abs ſe interpolatam, vſurparunt:
Atque

Atque hoc totum quatuor Interpretum, Leonis, Bibliandri, Cholini & Erasmi opus, *Biblia Tigurina* appellatur: quod in lucem venit vno post Leonis funera anno, nempe anno Salutis M.D. XLIII.

Huius operis exemplar typographus Christophorus Froschouerus eleganter compactum Luthero misit VVitebergam; *Ille verò*, inquit Caluinista Hospinianus in Farragine sua sacramentaria, *eum monuit, ne posthac sibi aliquid mittat, quod à Ministris Tigurinæ Ecclesiæ profectum sit: se enim nullum cum eis commercium posthac habere, & libros eorum, nec recipere, nec legere velle. Multos quidem labores eos sustinere, sed irritos & frustraneos, quandoquidem & ipsi iam damnati sint, & alios quoque miseros homines secum ad inferos abducant. Se itaque damnationis & blasphemæ doctrinæ eorum nolle consortem esse, sed quoad vixerit & precibus & libris eos oppugnare constituisse.* Hanc nimirum gratiam Zvvinglianus Typographus pro munere misso retulit; cui occini poterat: *Egregiam verò laudem, & spolia ampla reportas, Tuque tuusque Leo.*

Caput II.

CAPVT II.

Roberti Stephani in Bibliis Tigurinis excudendis dolus.

BIENNIO post publicata à Tigurinis Biblia, nimirum Anno M.D.XLV. Robertus Stephanus Parisiis nouam Bibliorum editionem adornans, cum vetere & vulgata translatione iunxit versionem Tigurinam, adiunctis in antiqui Testamenti libros Scholijs Vatabli, vt ipse quidem ait. Tigurinorum nomen vt & Leonis Iudæ, Bibliandri & Cholini diligenter suppressit; quia Parisiis, vbi tum degebat Robertus, haud satis tutum erat huimodi Versores & versiones euulgare. Res igitur fraudulenter agenda fuit vt & translatio Zvvinglianorum (quibus iam tum Robertus sese addixerat) disseminaretur, & tamen dolus non à quouis animaduerteretur.

Ex pluribus de Hebræo translationibus, quæ nostro tempore emerserunt, inquit Robertus, *eam potißimum elegimus; quam veteri è regione apponeremus, quæ viris doctis videretur cæteris Lati-*

nior. Cur non explicas, vnde & à quibus hæc noua translatio, cæteris latinior, processerit? An id ignorabas? tam scilicet, quam tuum nomen ignorabas. Metuebas videlicet capiti tuo, si palam professus fuisses, cuius illa translatio esset.—

Pergis in tua præfatione. *Hanc nouam* (Tigurinam) *translationem, tametsi existimaremus fidelem, & veritatē Hebraicam proximè exprimere, cum vellemus tamen cum aliorum versionibus, maximè autem Sanctis Pagnini conferre: Ecce commodum amici de prælectionibus Francisci Vatabli doctißimi Hebraicarum literarum professoris Regij nos admonent, neminem maiore vel eruditione, vel fide, magisque perspicua expositione sacros veteris Testamenti libros omnes, quos Hebræi receperunt, interpretatum esse: Multos esse eius diligentißimos auditores, qui percepta ab eo magna fide excepißent*. Nec mora. Robertus Vatabli dictata conquirit, colligit, interpolat, euulgat, & inde nouā translationem (hoc est Tigurinam) emendat & illustrat. Ait enim: *Quæ vel subobscura erant in hac ipsa trāslatione* (Tigurina) *vel ab eius auctore parum diligenter perpensa, vel etiam ab Hebraica veritate inter-*

dum

dum alienam, ita indicauimus numeris aut aliis notis, ſimulque expoſuimus, vt quæ difficillima eſſe & obſcuriſsima adhuc viſa ſunt, nunc plana fore ac facilia confidamus.

Tria ergo vetus Teſtamentum Roberti Stephani continet, translationem veterem; nouam Tigurinam, & ſcholia Vatabli in eos libros, qui olim in Iudæorum Canone exſtabant. Quanquam ferunt Vatablum hæc ſcholia à Stephano edita pro ſuis non agnouiſſe, & grauiſſimè cum Stephano, tanquam cum falſario, expoſtulaſſe, nec Stephanum aliter crimen hoc diluere potuiſſe, quam fuga ad Geneuenſes, ablatis ſimul typis regijs; vt ſcribit Genebrardus in Chronologia, & in præfatione in opera Origenis ad Carolum IX. Chriſtianiſſimum Francorũ Regem: vbi etiam ait; Vatablum Catholicæ Religionis cultorem, omniſque nouitatis Hæreticæ aduerſarium fuiſſe: & in orthodoxa Eccleſia non tantum laudabiliter vixiſſe, ſed & piè obijſſe.

In nouo Teſtamento adiunxit Robertus vulgatæ verſioni tranſlationem Eraſmicam prout id antea Tigurini factitarant.

CAPVT III.

Error communis de Vatabléa Bibliorum verſione.

EX facto & præfatione Stephani natus eſt error, Franciſcum Vatablum Biblia ex Hebręo vertiſſe; eiuſque verſionem Robertum Stephanum ſuam in editionem intuliſſe. Sed reuera res aliter ſe habet, vt fatebitur, quiſquis attente præfationem Stephani legerit; nam ſcholia duntaxat à Vatablo accepit, vel ſe accepiſſe finxit; quibus nouam illam hoc eſt, Tigurinā tranſlationem illuſtrare, & alicubi etiam emendare voluit: nec hanc translationem, quam ſuis Bibliis adiunxit Stephanus, aliam eſſe, quam verſionem Tigurinam Leonis Iudæ, Bibliandri, & aliorum, intelliget is, qui vnum vel alterum folium Roberticæ editionis conferre volet cum prima editione Tigurina; quæ, vt ſupra dicebam, prodijt anno Chriſti 1543.

Deinde idem planum fit ex Chronologia Eccleſiaſticopolitica Tom. 8. Chronici Chronicorum; vbi hæc commemorantur ex Thuano. *Anno*

no 1543. Tigurina versio Bibliorum latinè edita est, opera Leonis Iudæ, Pellicani, Bibliandri. Hanc Robertus Stephanus biennio post in sua editione ad veterem adiecit, suppressa eorum, qui in illa laborarunt, mentione: et Hispani Theologi diu post recognitam denuo Lugduni excudendam curauerunt. Est ergo Tigurina & Vatabliana versio vna & eadẽ; quia Tigurina versio Vatablinę nomẽ tulit per errorẽ Lectoribus, & ipsi etiã Genebrardo in Chronologia, à Roberto obiectũ: quanquã idem Genebrardus, Præfatione in Origenem ambigit, an versio hæc sit Vatablo adscribenda, propter ineptiam inquit, *nam Vatablum aut malitiosissimum aut Hebraicæ linguæ ignarissimum fuisse; si eius sit hæc versio: quippe quàm pessimè potuit maximam partem & potiorem Scripturæ conuertit, velut de industria à litera & sensu discedens, & data opera aberrationem à veritate Hebraica appetens, vt eum dum lego, & cum Hebraico confero, mihi videar in alio mundo versari, & non sacras literas legere, sed fabulas è sacris literis deductas & delineatas, sed farragines è verbo Dei & humanis cogitationibus consarcinatas, quæ non tam ad veritatem, quam*

vertentis opinionem pertineant. Hęc Genebrardus. Fortè vehementius, vt Vatablum ab iniuria vindicet.

Verùm in hac translatione Vatablo adscripta, quæ reuera est Tigurina versio Leonis Iudæ, Bibliandri & Cholini; & in Testamento nouo, Erasmi, tametsi interpolata; & in scholiis sub Vatabli nomine adiunctis, esse aliquid, quod viros doctos & sacrarum literarum studiosos iuuare, & ad abditos scripturæ sensus penitius inuestigandos promouere possit; argumento est Index Concilij Tridentini, à Sixto V. & Clemente VIII. recognitus & auctus, in cuius tertia Regula hæc leguntur. *Librorum veteris Testamenti versiones, viris tantum doctis & piis, iudicio Episcopi, concedi poterunt: modò huiusmodi versionibus tanquam elucidationibus vulgatæ editionis ad intelligendam sacram scripturam, non autem tãquam sacro textu vtantur. Versiones verò noui Testamenti ab Auctoribus primæ classis huius Indicis factæ, nemini concedantur, quia vtilitatis parum, periculi verò plurimum lectoribus ex earum lectione manare solet. Si quæ verò annotationes cum huiusmodi, quæ permittũtur versionibus,*

vel

vel cum vulgata editione circumferuntur, expũctis locis suspectis à Facultate Theologica alicuius Vniuersitatis Catholicæ, aut Inquisitione generali permitti eisdem poterunt, quibus & versiones. Quibus conditionibus totum volumen Bibliorum, quod vulgo Biblia Vatabli dicitur, aut partes eius concedi viris piis & doctis poterunt. Hactenus Index. qui rectè dicit: Volumen illud: *Vulgò Biblia Vatabli dici*, quia appellatio hæc ex vulgari persuasione exstitit, Vatablum non tantùm Scholiorum, sed & ipsius versionis nouæ ad veterem à Roberto adiectæ Auctorem esse: quod secus est; vt vidimus.

Indicis Tridentini hortatu videntur Theologi Salmanticenses in Hispania excitati, vt ex his Bibliis Vatablo adscriptis errores expurgarent, opusque emaculatum liberę lectioni permitterent; & Salmanticensibus typis subijcerent; Anno Domini 1584. teste Posseuino in *Apparatu.*



Caput IV.

CAPVT IV.

Excutiuntur in gratiam pij & Catholici lectoris, quę in Clypeo concionatorum verbi diuini de Bibliis Tigurinis perperam traduntur.

ANNO 1613. editus est Venetijs liber, cui inscriptio: *Clypeus Concionatorum verbi diuini, Auctore Ferdinando de Escalante Hispano, ordinis sanctissimæ Trinitatis, & Redemptionis captiuorum*, in cuius libro sexto, cap. vlt. mira prorsus de Tigurina translatione, eiusque interpretibus percensentur, quæ ego recitabo, non vt quenquam insecter, sed vt veritatem patefaciam, errandiq; occasionē alijs præcidam; præsertim exteris, & illis maxime, qui in media Hispania degentes, hæreticos minus norunt, quàm nos, qui inter illos viuimus.

Distinguit ergo scriptor iste. I. versionem Vatablinam à Tigurina, cum sit vna & eadem, vt supra dictum.

II. Di-

II. Dicit se diu *miro desiderio videndi Biblia Tigurina flagrasse.* Atqui toties videbat, quoties illa, quæ Vatablea vocantur, oculis vsurpabat; sunt enim vna eademque, nec aliunde distinctio nata est quàm ex errore, cuius dissimulatione sua & orationis perplexa ambiguitate Robertus Stephanus caussa fuit.

III. Dicit, *se tandem in ista Biblia incidisse apud Episcopum Giennensem.* Bene factum; Decebat, vt tandem tanta sitis leuaretur; ne nimium cruciaret.

IV. Dicit, *hæc Biblia fuisse elaborata studio & diligentia Leonis Tigurinæ Ecclesiæ Episcopi.* Leo Iuda nunquam fuit Episcopus; sed hæreticus sacramentarius. Nec Tigurum seu Turegum est Episcopalis ciuitas, sed est sub Episcopo Constantiensi, cuius diœcesis fines suos latissimè profert.

V. Dicit, *Leonem pio Zelo feruidum, nouam Bibliorum versionem aggressum esse.* Atqui ego planè mihi persuadeo, Leonem non alio consilio nouam translationem suscepisse; quàm vt veterem in contemptum adduceret; & vt suam quoque Hebraicæ linguæ peritiam mundo venditaret: quia enim tunc nouis versionib. omnia

redundabant, turpe futurū credebat, si ipse domo Apella, & in Iudaismo procreatus; nihil in hoc genere auderet: neque Zvvinglianismum suum hoc fulmento fulciret.

VI. Dicit, *Leonem in transferendo veteri Testamento vsum esse Hebraico exemplari emendatissimo, vt & Græcis atque Latinis editionibus, vnde lectionis veritatem putauerit esse petendam; neque neglexisse, quæ de genuino & germano sensu passim tradiderunt Orthodoxi Interpretes.* Hæc quidem præfatio Tigurinis Biblijs præfixa magnificè de Leone iactitat, sed num tanto hiatu dignum quid Leo præstiterit, dubitabit, qui quæ supra de his Bibliis Genebrardus scripsit, perpenderit, quique simul attenderit, quam sæpe versio hæc à Roberto Stephano ad ferulam & scuticam vocetur.

VII. Dicit, *plurimum adiutum esse opera & industria clarissimorum virorum.* Clarissimi isti viri omnes fuere Hęretici, perditi Sacramentarij: partim quoque Monasticorum ordinum desertores, vt Bibliander, Pellicanus, Cholinus, Rudolphus Gualterus, & eiusdem sentinæ alij.

VIII. *His præsidiis subnixum, latinam suā translatio-*

lationem sincere ad veritatem Hebraicam accõmodare studuisse. Quæso, quę sinceritas in Sacramẽtario, & in votifrago sacerdote, qualis iste Leo? IX. Dicit; *Corpusculum optimi viri, senio iam debilitatum, & laboribus fractum, diutius tantũ onus sustinere nequiuisse.* Non optimus, sed pessimus & nocentissimus vir fuit Leo Iudas, vtpote post defectionem suam à Catholica Ecclesia & Sacerdotio, in id vnum intentus, quomodo quã latissimè sacramentariam Hæresin propagaret: Qua in re ne capitalibus quidẽ fraudibus abstinuit, vt cũ sub emẽtito nomine Ludouici Leopoldi, Anno 1526. edidit Germanice hũc libellum: *Doctissimi Erasmi Roterodami ac Martini Lutheri sentẽtia de cœna Domini nostri Iesu Christi:* In quo Germanicæ plebeculę tunc potissimũ ob sacramentarios tumultuanti persuadere cõnatur, Erasmi & Lutheri doctrinam à dogmate Zvvingliano, quoad hoc caput, nihil penitus discrepare. Quod quàm verum fuerit, norunt omnes, qui vel modice libros Lutheri contra Sacramentarios degustarunt, & ipse mox Erasmus palam ostendit, sibi ab isto tenebrione luculentam iniuriam irrogatam esse.

X. Cum narrasset ex prçfatione, quomodo Leo, desperatâ iam vitâ, Theodorum Bibliandrum & alios obtestatus fuerit; vt imperfecta perficerent, & quæ vertenda restabant, verterent; subiungit: *Leonem felicißime migrasse ad Dominum.* Vtinã. Sed si mors peccatorum pessima est, quanto magis pertinacißimorum Sacramẽtariorum; quorum mors non est ianua ad vitam; sed aditus ad mortem secundam. *Felicißime migrauit ad Dominum.* Illené, qui tot millia animarum à veritatis tramite abduxit, & ad perfidiam Zvvinglianã traduxit? Illené, qui cum sacerdos esset, in fictitio matrimonio vsque ad extremum anhelitum vixit, nullis vnquam pœnitentiæ indiciis editis, ne in fatali quidem illa hora; cui tunc vxor & liberi potius curæ erant, quam malè commissorum detestatio; nam vt præfatio ait; *Commendabat inprimis Ecclesiam Dei,* (rectius dixisset, Zvvinglij) *hinc vxorem suam & liberos, mox viduam & pupillos futuros.* Ex quibus verbis Auctor iste, si animum aduertere voluisset, facile intelligere poterat, quis & qualis Leo iste *Episcopus* fuerit: neque enim in Catholica Ecclesia vxor & liberi lectulum moribundi Episcopi circumsidere,

dere,

dere, & flebilibus lamentis commendationes quæritare ſolent. Noui, Zvvinglium ſibi & ſuis *Epiſcopi* titulo blanditum eſſe, ita vt quot Tiguri verſabantur Paſtores, tot *Epiſcopos* numeraret, vnde & Leo Paſtor ad S. Petrũ, Zvvinglio *Epiſcopus* erat; ſed cum tales Epiſcopos ignorauerit antiquitas, & illa etiam ætas, quæ Zvvinglium proximè anteceſſit, meritò Epiſcopos iſtos in rem malam abire iubet, quiſquis ſalutis ſuæ curam gerit.

XI. Dicit Auctor iſte, *Bibliandrum & Pelicanũ citiſsime & diligentiſsime, quæ promiſerant, præſtitiſſe*. De celeritate, non abnuo; nam ſequenti à morte Leonis anno, hoc eſt, 1543. Biblia Tigurina in publicum prodierunt. De diligentia, & quidem ſumma illa dubito; quia raro cum inſigni celeritate inſignis diligentia cõiungi poteſt; deinde, quia, ea, quę Genebrardus de hac verſione ſcribit, & tot obeli, aſteriſci, lunulæ, quibus eam Robertus Stephanus ſignauit, haud tantam diligentiam, quanta hîc prædicatur, arguunt.

XII. Dicit *Leonem hunc ſuum laborem dicatum voluiſſe fideliſsimis & religioſiſsimis fratribus, paſtoribus verbi & Eccleſiarum Miniſtris per agrũ*

Tigurinum; & hinc translationem hanc Tigurinæ nomen sortitam esse. Siccine *fidelissimi* & *religiosissimi* illi sunt, qui per ditionem Tigurinam, quæ amplissima est, Zvvinglianum Euangelium prædicant, vt Euãgelium Christi expellant? Siccine *fidelissimi* & *religiosissimi* illi; quos ob Sacramentariam hæresin, Hispani in cineres verterent, si in eorum manus inciderent? Siccine his encomiis digni sunt, quos ipsemet Lutherus habuit pro portentis potius, quam pro hominibus; vndique, intus & extra, à Diabolo obsessis & circumseptis?

XIII. Petrum Cholinum & Rudolphum Gualterum vocat *optimos & doctissimos viros*: Sacramentarius fuit vterque; quomodo ergo vir *optimus*? Spuriam Zvvinglij, qui prius Sacerdos fuerat, connubio sibi iunxit Gualterus, qui *optimi* viri elogium non mereretur, licet nihil aliud bonitati aduersum patrasset; quam hoc, quod flagitiosi Apostatę notham sibi despondit.

Et ita quidem res sese habet cum Bibliis Tigurinis; cuius translatores quales fuerint, licebat scriptori huic vel ex ipso librorũ prohibitorũ Indice discere: omnes enim inter Auctores primę

classis

claſsis annumerantur. Quære & vide, an non quemlibet ſua in ſtatione reperturus ſis, Leonē dico Iudam; Theodorum Bibliandrum, Conradum Pelicanum, Petrum Cholinum, Rudolphum Gualterum, quos ex ignorantia ſcriptor iſte tanquam viros Catholicos, optimos & doctiſsimos dilaudat; ſed venia danda eſt; Beatus ille, qui tam procul ab hæreticis habitat, vt eos ne nouerit quidem.

Ait Auctor; *prohiberi Biblia Tigurina ſed in mediocri forma: in folio, cōcedi, ſeruata forma, ordine, & cenſura, præſcripta à Reuerendiſsimo Ferdinando Valdeſio, Archiepiſcopo Hiſpalenſi, & Inquiſitore generali.* Ego nihil aliud ſcio, quam Biblia Tigurina ſiue in minore ſiue in maiore forma eiuſdem prorſus ſpeciei eſſe; hoc eſt, ex Hęreticorum Zvvinglianorum & Sacramentariorum officina proceſſiſſe; additis paſſim eorundem ſcholiis & annotationibus: De cuius generis Bibliis ita decreuit Index Concilij Tridentini. *Biblia Hæreticorum operâ impreſſa, vel eorundem annotationibus, argumētis, ſummariis, ſcholiis & indicibus referta, omnino prohibentur.* Quāquam Regulâ tertiâ permittitur huiuſmodi

di Bibliorũ quoad vetus Teſtamentum, vſus, ſed viris tantũ doctis & piis, idque iudicio Epiſcopi, & expunctis locis ſuſpectis ex annotationibus ſi quas habent: Et hoc per Facultatem aliquam Theologicam, aut Inquiſitionem generalem; prout in Bibliis Roberti Stephani, quæ Vatablea nominant, fecerunt Theologi Salmanticenſes, & Illuſtriſſimus Archiepiſcopus Toletanus Gaſpar Quiroga in Indice expurgatorio, qui editus eſt Madriti Anno Christi 1584. Quare hunc in modum Biblia Roberti Stephani, ſeu, vt appellant, Vatabli; in quibus etiam inſunt Biblia ſeu verſio Tigurina; conceduntur, vtrum autem Biblia Tigurina ſeorſim & extra Roberti Editionẽ, alicubi correcta & expurgata fuerint, incõpertum habeo. Hoc mihi liquet; nullũ fore Catholicũ correctorẽ, qui nõ vel ante omnia inde eiecturus ſit præfationem, in qua de interpretibus, deque interpretationis conſilio agitur. Nec ego vidi in hæc Biblia cenſuram Archiepiſcopi Hiſpalenſis, quã auctor *Clypei* citat: nec formã, nec ordinẽ legendi illa Biblia ab eodem præſule præſcripta; vt dicit Auctor. Suſpicor tamen, ſi Tigurinorum Bibliorum verſores tam noti eſſent exteris,

teris,quam ſunt nobis Germanis; multos,qui ea nunc neſcio quo loco habent, eodem in pretio habituros,quo verſiones aliorum Nouatorum: Omnes enim Tigurinæ tranſlationis vel conditores, vel adiutores fuêre teterrimi Sacramentarij; qui fortiſſimam & bellicoſiſsimam Heluetiorum nationem ab auita & patrita religione ſacrilege abduxerunt; Etſi non totã, gratia enim Deo & cœlitibus,perſtant perſtabuntq; (ita Deus faxit) conſtantiſſime in Catholica fide ex Heluetiis plurimi,qui Turegienſi Baali adeo ſua genua nõ incuruarunt, vt eundem in aciem cum ſuis progreſſum, trucidauerint; & non tantum Letho,ſed & Orco demiſerint; corpore etiam in cineres redacto.

Nec, vt arbitror, *Clypei* Architectus male ad hanc verſionem Tigurinam accommodauerit extrema verba libri ſui ſexti. *De aliis hæreticorũ translationibus putridis & peruerſis,in angulis & conuenticulis,ſuggeſtione Sathanæ,confectis, non eſt opus pertractare, ſed admonere fideles, ſi quid translationis occurrerit, quod nõ ſit alicuius Auctoris approbati, è numero ſcilicet eorum, de quibus locuti ſumus:* (Atqui Leo Iuda, Bibliander &

alij, de quibus supra, non sunt Auctores approbati; sed damnatæ memoriæ ad vnum omnes) *vt talem interpretationem suspectam semper habeant, & cautè legant, vtcunque speciem & apparentiam boni præ se ferre videatur*. Rectè. Sed totum hoc in Biblia quoq; Tigurina quadrat, cuius artifices ne vno quidem pilo veritati & Ecclesiæ Catholicæ addictiores fuêre, quam Munsterus, Castaleo, Iunius, Tremmelius, & alij Sectarij qui vel tota vel partem Bibliorum ex Hebręo sermone in latinum transtulerunt.

Ait Auctor Clypei. *Typographorum incuria, & iniuria maleuolorum Codices quosdam* (Bibliorum Tigurinorum) *in lucem prodiisse primis dissimillimos & corruptissimos*. Qui nam isti maleuoli Zvvinglianorum, qui Biblia in *minore forma* adeo deprauarunt, vt eorundem vsum ac lectionem necesse fuerit prohibere? Num Robertus Stephanus in Tigurina Biblia tam iniuriosus fuit? Atqui ipse in ipso contextu nihil mutauit, sed in scholiis & annotationibus ostendit, quid, suo iudicio, perperam versum fuerit, & quid melius verti potuerit. Nec Catholicos huius corruptionis accusare fas est: nam quid Catholicis cum

Bibliis Tiguri Zvvinglianorum operâ elaboratis? Nec Lutheranos hic suspectos habere licet; quia & Zvvinglianos & Zvvingliana Biblia eodem loco habent; nec quidquam illis magis est in optatis, quam vt tam illi, quam ista quantocyus cum Zvvinglio sepeliantur, & sempiterna obliuione obruantur. Nec credibile mihi fit, ipsos Tigurinos Zvvinglianos, Leonis Iudæ & Bibliandri posteros, violentas manus Bibliis istis attulisse, & plus luis ac pestis affricuisse, quã primi conditores affricuerant. Ego non vidi nisi primas editiones; illã scilicet in *folio Regali*, quæ fuit omniũ prima, euulgata anno 1543. Et alterã Anni 1544. in *quarto maiore*, vt vocant; & aliã eiusdem anni in *octauo maiore*: nam, vt sunt ingenia pleraq; ad nouitatẽ prona, vix Typographus satis exemplariũ excudere poterat simulatq; Leo iste Iudas & Bibliander cum sua noua versione comparuerunt. Nec cuiquam res hæc felicius cessit, quàm Typographo Tigurino & Bibliopolis, quibus noua hæc Biblia rei faciendæ, & loculos farciendi insignem occasionem prębuerũt. In ea tamen sum opinione, si quis primas editiones, quacunq; tandem forma excusas, cum po-

ſterioribus componere velit; omnes apparituras ſorores, & propè gemellas, Spiritu Zvvingliano egregiè tinctas atque delibutas.

Videtur autem *Clypei* Auctor delectari verſibus; laudat enim verſionis Tigurinæ fabros, quod ſingulorum capitum ſummaria à Rudolpho Gualtero carminibus incluſa addiderint; *Vt mira*, inquit, *ſuauitate permulceant lectorem affixerunt vniuerſo argumenta ſingulorum capitum carmine comprehenſa, à doctiſſimo viro Rudolpho Gualtero in gratiam & vſum ſtudioſorum compoſita.* Fieri poteſt, vt quid ſit ſuaue nec ſentiam, nec intelligam. Meis auribus & animo carmina illa plus de inconditis rupibus & cautibus Heluetiæ, quàm de literato Helicone inſonare videntur; tantum abeſt, vt mira ſuauitate me permulceant. Quæ enim ſuauitas in iſtis?

Pro templo Salomon ligna cedrina petit.

Itane *cedrina*, mediâ longâ, petijt? Atqui in toto Libano Rex Hiram non habebat *Cedrina* longa, ſed tantum *Cedrina* breuia. Quam ſuauis hic verſiculus:

Vt tulit, officium ad mox Heliſæa vocat.

Cuius tandem declinationis *Heliſæa*, pro, *Heli-*

ſæum,

sæum, ab *Helisæus*, nisi Zvvingliana licentia, ἐλισσεὺς, vt ὀδυσσεὺς scribendum putarit; sed vnde tunc diphthongus illa æ? An ideo tantum adhibita est, vt Helisæus fieret longus, cum ratio carminis breuem non ferret? Quãta suauitas spirat ex istis amusis & ametris metris?

Hinc atrium ac oleum postulat inde Deus.
Et discit quo sint hæc celebranda ritu.
Feruida vt absumitur crepitantibus ignib. olla
Adimit huic regnũ, quod dedit ante, Deus.
Conuitiis Mosen vexant fraterq; sororq;.

Vt taceam alia vitia prorsus puerilia; qualia *Gorgias, Lysias*, vltima breui: nihilque dicam de ipsa integra compositione, quæ tota est inepta, insulsa, & plena inconditi & inculti ruris. Nec spiritus Zvvinglianus à se impetrare potuit, quo minus venena sua subinde aspergeret; nisi fortè hæreticum venenum non est; quod araneus iste ex Bestia Apocalyptica suxit:

Altera consurgit blasphemo bestia vultu,
Quam si Pontificem dixeris esse; licet.

Nec mihi quidquam magis placet in his inuersis versibus, quàm quod in editionibus Bibliorum Tigurinorum *minoris formæ* omissi sunt:

neque eos Bibliis suis dignatus est Robertus Stephanus.

At nihilne ad hanc Pandoram decorandam attulit Pelicanus? Audi præfationē. Annotationibus (marginalibus) *adiecit Pelicanus alterius generis annotata per opus integrum, locos videlicet communes, & quæ in singulis capitibus memorabilia, & inprimis obseruāda videntur, mirificè lectoris memoriā adiuuantia; locos item similes & dissimiles, ac qui hic obscuriores vel breuiores, alibi verò illustriores copiosioresque inueniuntur.* En præclarū Pelicani donum, longè nimirum præstantius, quā fuerit illud Mercurij, qui Hesiodeæ Pandoræ tribuit κυνεόν τε νόον, καὶ ἐπίκλοπον ἦθος, *caninam mentē, & mores fallaces*; nisi fortè quis arbitretur, me neutiquā dissentiente, pādorę huic Tigurinę ab omnibus suis architectis datum id, quod vnicus Mercurius poëticæ illi Pādorę dederat, quorsum enim omniū istorum conatus aliter spectabat, quam vt per hanc fucatā translationem plurimi in Zvvinglianā nassam pellecti deciperētur, & à prisca fide ad perfidiam traducerentur?

Et hæc de Bibliis Tigurinis.

Superiorum Permissu.

Luthe-

Lutherus in Commentario de Nouissimis verbis Dauidis.

Noui isti Interpretes *tam variis & discrepantibus interpretationibus, Grammaticis distinctionibus, punctationibus, textus Bibliorum tam miserè lacerant & discerpunt, vt si ipsos interpretes sequi velimus, nunquam habituri simus Biblia vna aliqua certa & concordi sententiâ enarrata aut intellecta, quoniam suam quisque Rabinorum interpretationem aliis praeferri vult. Quid, quod ipsi coguntur fateri multis in locis se nondum intelligere suae linguae vocabula? Tantum abest, vt vbique puram & consentientem Bibliorum explicationem habeant; quod ad Grammaticam sententiam attinet, vt de Theologica taceam, cuius prorsus nihil habent.*

Idem Ibid.

Profectò non est vtilis Ecclesiae opera & studium Rabinorum & Grammatistarum Iudaizantium, & sententias in Ecclesiam inuehendi; nam illa etiam sine studio per sese nimis facilè & pertinaciter haerent. Et ipsa litera seu textus à Iudaeis recepta superstitiosa obseruatio, & aliorum interpretum auctoritas & exempla, facilè caliginem offundunt, vt interim amissa vera sententia & intellectu de Christo, vbi non oportuit, Iudaicae imaginationes nobis incautis obrepant. Quemadmodum omnibus interpretibus video euenisse, ac ne me quidem excepto. Bene factum, quod te ab Haereticorum Interpretum & Versorum genio & indole non excepisti; quia si excepisses, omnes contra te insurrexissent, & ad tribum suam, tanquam perfectum contribulem, reduxissent.

